



# **Canones et decreta sacri concilii provincialis Cameracensis, praesidente R. P. Dn. Maximiliano a Bergis, archiepiscopo, & duce Cameracensi ...**

<https://hdl.handle.net/1874/388411>

6

CANONES, ET DE  
CRETA SACRI CONCILII  
PROVINCIALIS CAME-  
RACENSIS,

Præsidente R. P. Dn. MAXIMILIANO  
A BERGIS, Archiepiscopo, & Duce Came-  
racensi, Sacri Imperij Principe, Comite Ca-  
meracelij, &c.

HIS ADIECIMVS ACTA, SEV ORDINEM  
rei gestæ, ac cæmonias, & orationes, quæ in illo ha-  
bitæ fuerunt.

ANTVERPIÆ, M. D. LXVI.

Ex officina Gulielmi Siluij, typographi Regij.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Priuilegij sententia.

**D**iuata constitutione Regis sancitū est,  
ne quis *Canones & decreta Concilij prouincialis Cameracensis &c.* cum actis, cæremo-  
nijs, & orationibus in eodem habitis à die impres-  
sionis absolutæ intra quatuor annos præter Gu-  
lielnum Siluium, typographum suum, impri-  
mat, aut diuendat ; neue imprimi faciat, vel  
aliunde importet. Qui secus fecerit ; pœna, &  
pecunia in constitutione Regis æstimata multa-  
bitur : vt in eadem latius expressum est. Dat.  
Bruxellæ die vlt. Decemb. Anno M. D. L X V.  
Signat.

Vlierden

&

VVouvvete.

MAXIMILIANVS A BERGIS,  
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA  
ARCHIEPISCOPVS, ET DVX CAME-  
racensis, sacri Imperij Princeps, Comes Ca-  
meracefij, &c. Vniuerso Clero, & populo  
nostræ Prouinciæ Cameracensis, Salutem in  
Domino perpetuam.



VM INTERDVM NOBIS-  
cum reputamus, quantopere  
nostra causa hodie sancta ma-  
ter Ecclesia laboret, & quā-  
tis denique vulneribus ipsius  
membra, pluribus emortuis,  
saucia sint; sane crudeles nos  
merito filios ab ea censendos  
non dubitamus, nisi languenti congruentia remedia ad-  
hibeamus: ut qui inficias ire non possimus, quin sa-  
crorum Canonum neglectū, morumque deformatione,  
ac vitæ dissoluzione, illius languori causam, immo  
& hostibus eius contra illam arma dederimus. Pro-  
inde licet causas nobis satis idoneas oblatas esse indice-  
mus, ex Concilij Tridentini mandato, quare Synodum  
nostræ Prouinciæ quamprimum cogeremus; tamē ea res  
nos impulit maxime, quod veterem Ecclesiæ consue-  
tudinem hoc tempore restitui debere censeamus, cum  
alijs plurimis rationibus inducti, ac publico periculo  
A 2 moniti,

moniti, tum ut quæ mala in Ecclesiam inuexit vita  
dissolutio, eadem morum reformatio tollantur. Est  
etenim in primis necessarium; cum impiorum hominum  
improbitas, ad consilia Religionis euertenda, sceleras  
tis animis conspiret, passimque pestilètiae cathedras eri-  
gat; ut ad publicum naufragium auertendum, p[ro]ij ho-  
mines, quibus Christi gloria cordi est, conuentus legi-  
timos simul incant, prouideantque, collatis sententijs,  
qua potissimum ratione has pestes amoliri possint ab Ec-  
clesia. Quod maioribus nostris, iam inde ab Apostolo-  
rum ætate, in more, & vsu fuisse, Ecclesiasticis histo-  
rijs abunde relatum est. Nam in Ecclesia si quid prisco-  
rum sæculo forte contigisset, ex quo detrimentū ullum  
Respub. capere, aut doctrinæ, morumque sinceritas  
corrumpi posset, tum, quod singuli oneri sustinendo satis-  
se esse minime putarent, multorum aggregatione de  
communi inter se negotio salutariter decernebant.  
Spectabant enim certam ac firmam Christi promissionem,  
qua, collectis in suo nomine pluribus, medium se in-  
tersuturum pollicetur. Nec dubitabant quin suam  
v[er]am Spiritus sanctus certis indicij proderet, quocunque  
piorum Ecclesia legitime conuenisset. Sic Petrus, Apo-  
stolorum Princeps, cum Spiritus primitius haberet,  
ipse tamen ex fratrum sententia, & iudicio, Gentiles  
veteris paedagogi iugo maluit eximere, quam id sua so-  
lius auctoritate constituere: nec prius aut ipse, aut Iacobus  
ita Spiritui sancto visum esse pronuncianit, quam Se-  
natus Apostolici de ea questione consensus est habitus.

Hanc

Hanc autem certissimam normam doctrinæ aduersus hæ  
reses afferendæ, morumque, ac disciplinæ retinendæ, non  
eo tantum tempore seruauit Ecclesia, quo Principum  
beneficio securitas Christianis data est, sed eo quoque  
sæculo, quo fasces Imperij Christiani nominis interitum  
omni crudelitate molirentur: cuiusmodi fuit ille Patrum  
congresus aduersus Samosatenum sæpius repetitus;  
illeque aduersus Nouatum habitus, & Carthaginem, &  
Romæ multorum Episcoporum conuentus. Quam vti-  
lissimam consuetudinem, a sanctis Patribus constabili-  
tam, in quibus fuere Firmilianus, Cyprianus, Corne-  
lius, compluresque pietatis maxime viri, quamdiu po-  
sterior Ecclesia retinuit, multo minus incommodi ab hæ-  
reticis impostoribus, perditisque hominibus pertulit,  
quam ubi desitum est, legitimo Prouincialium con-  
cessu, sacros conuentus statim temporibus haberi: nec  
dubium quin exitialis eius negligentia partus ad pu-  
blicam calamitatem in hæc tempora reciderit. Nam  
cum tranquillis rebus diuturna quies nonnullos ordi-  
nis Ecclesiastici languidiores ad officium præstandum  
redderet, nec putarent in otio negotium moleste qua-  
rendum esse; natu hanc oportunitatem Satanas,  
astute machinas adornauit, quibus hodie Religionem  
hereticorum adminiculo tentaret euertere. Cui malo  
occurri certe melius non potuit, quam iisdem rationi-  
bus, quibus maiores nostri semper Ecclesiae Christi pro-  
pugnationem suscepere, id est, Concilijs rite, ac pie  
collectis. Quorum si villo vñquam tempore auætoritas,

usque fuit necessarius ; pericula profecto nostra decla-  
rant , de re nulla potius nobis esse cogitandum . Quare  
cum saepius inter nos de periculo , quod maximum Eccle-  
sijs impendet , depellendo quereremus ; hæc vna , in cete-  
ris , sacra nobis anchora visa est , si mature Concilium  
Prouincie Cameracensis haberetur : in quo cum de reo  
stauranda disciplina , tum vero de doctrina Christiana  
conseruanda inter Patres agitaretur . Huic autem in-  
ductioni nostræ addidit animum inuidissimi , atque reo  
ligiosissimi Principis Philippi , Regis Catholici , omnium  
optimi , ac maximi pietas : ( in cuius ditiones tota pene  
nostra Prouincia patet ) qui cum id sibi vehementer plas-  
cere , ac probari pro suo erga rem Christianam studio de-  
clarasset ; tum nihil potius habuimus , quam ut diem  
diceremus eius ineundi Concilij . Is vero fuit dies Ioan-  
nis Baptiste nativitati festus : quo die fratres nostri  
Suffraganei , Capitolorumque Cathedralium omnium de-  
putati , complures Abbates , item iusto numero Colle-  
giorum , Decanorum , ac sacerdotum plurimi , frequen-  
ti conuentu ex tota Prouincia ( quod felix sit , ac fau-  
ustum ) conuenere . qui omnes sancte , ac religiose moniti ,  
eum sibi in primis scopum spectandum nobiscum cen-  
suerunt , uti ante omnia gloriæ diuinæ seruiatur , ut  
quidquid œcumenicum Concilium Tridentinum statue-  
rit , id sacrosanctum omnibus sit , & inuiolabile : quid-  
quid item anathemate damnauerit , id ut omnes exe-  
centur : uti præterea in cultu , cæremonijs , moribus ,  
disciplina , ceterisque ijs rebus omnibus , quibus legit-  
ma Eccl

ma Ecclesiarum œconomia constitui debet, in his nihil non integrum, ac sincerum admittatur; nihil, quod sit sanctum, ac purum, negligatur. Itaque ergo communis fratrum nostrorum Episcoporum comprouincialium consensu, & astipulatione, duce & auspice Deo, a quo omnis sufficientia nostra est, dictam Synodum Provincialem editis, ac promulgatis certis statutis, & ordinationibus, ad dicti sacri œcumenici, & generalis Concilij executionem facientibus, feliciter absoluimus.

Quamobrem Deo primum Opt. Max. gratiam habentes, & agentes immortalem, vos omnes, & singulos per viscera caritatis hortamur in Domino, ut parturientem, & totis iam viribus ententem Ecclesiam, vestris cum primis votis, ac precibus adiuuetis; quo innovationem veteris Patrum sanctitatis in lucem edat. molitur enim nouum aliquid, & salutiferum Deus in seruorum suorum conatibus; estque id in expectatione, ut conuertat manum suam ad nos; & quod inquit Ezaias, excoquat, ac purget argenti nostri scoriam, id est, ut pristine Ecclesiasticae sanctimonie statum restituat. Quare æquum est vos expromptum, & alacrem animum exhibere Numinis, ne hanc optimi Patris gratiam peruicaciter abiiciatis. Hoc denique certum, & indubitatum habendum vobis est; nisi in Ecclesiæ sinu, & gremio manseritis, vobis nihil esse commune cum Christo. Ea enim tabernaculum est Dei viventis, corpus est Christi, electorum capitum, & assistitis; domicilium est Spiritus, omnium piorum doctoris,

etoris, & sanctificatoris. Cuius quotquot participes  
effici cupiunt; illis necesse est ut ab omnibus haeretico-  
rum imposturis abhorreant, caueantque sibi ab eo fer-  
mento, quo celestis doctrinæ panem vitiant; & cor-  
rūpunt. Quod ipsi quidē facile consequetur, si ijs saluta-  
ribus remedij se muniāt, que & in Concilio Triden-  
tino & in prouinciali nostro Patres accuratissime de-  
promperunt.

Q VOCIRCA etiam beatissimi summi Pontificis  
mandato innixi, vobis sub inobedientiae, & alijs gra-  
uioribus pœnis, & censuris Ecclesiasticis, etiam in  
ipsis decretis contentis, districte præcipimus, & man-  
damus, ut eadem decreta, & que in dicta Synodo no-  
stra prouinciali statuta sunt, accurate obseruetis; &  
quilibet vestrum, prout quemque concernunt, obser-  
uet, & obseruari curet. Mandantes propterea Pre-  
latis omnibus, ac Parochis, & verbi Dei conciona-  
toribus, ut ea populis suis, quatenus hosce, atque ho-  
rum salutem respiciunt, quam sapissime (singulis suis  
sermonibus scilicet eorum aliqua) annuncient, ac pla-  
ne, dilucideque exponant. Ad hæc cum pietas, quam  
professi sumus, id exigat, vt Paulino præcepto moniti,  
pro ijs, qui in potestate sunt constituti, Deo Opt. Max.  
supplicemus, vos monemus, ac obsecramus, vt vtriusque  
ministerij, id est, Ecclesiastici, ac laici, Principibus  
fausta omnia, ac felicia, in oculis Domini, compre-  
mini, vt eorum cura, ac diligentia tranquillum, ac  
pacatum

pacatum statum Reipub. Christianæ omnes ordines re-  
tinere, & sine trepidatione Deo seruire queant.

Estate igitur memores in orationibus vestris sanctissi-  
mi Patris Pij Quarti, Pontificis maximi, Praeposito-  
rumque vestrorum, qui saluti vestrae pro vobis adui-  
gilant, Cæsaris quoque, Regum, & præsertim pien-  
tissimi Principis Philippi, Regis potentissimi, for-  
tunam, incolumentatemque, & Regnorum stabilitatem  
Deo commendate, ut diuino semper præsidio septus, &  
hostem Christiani nominis fortiter a ceruicibus fide-  
lium repellat; & cum Ecclesiam Christi tuendam sus-  
ceperit, eius conatus & sancta consilia, ipse, per quem  
Reges regnant, & imperant, sua benedictione fortunet.  
Datum in ciuitate nostra Cameracensi, loco nostra re-  
sidentiae, Anno Domini millesimo, quingentesimo,  
sexagesimo quinto: Beatissimi vero Patris, ac domini  
Pij IIII. Pontificatus anno sexto, Die tertia mensis  
Augusti.

B PRÆ-

## P R A E F A T I O.

**N** N O M I N E sanctæ, & individuæ  
Trinitatis, Patris, & Filij, & Spir-  
itus sancti.

S A N C T A Synodus Prouincia-  
lis Cameracensis, in Spiritu sancto legitime con-  
gregata, considerans fidem spiritualis ædificij,  
ac religionis esse fundamentum, sine qua neque  
Ecclesia subsistere, neque quisquam Deo place-  
re queat; statuit in primis, more maiorum, ut  
eius fidei confessio ante omnia præmittatur, ut  
quod corde creditur ad iusticiam, id ore profi-  
teantur omnes ad salutem. Quæ fides cum  
Apostolo teste sit vna, eam ipsam, quam a maio-  
ribus acceptam, ductamque a Christi & Aposto-  
lorum doctrina, Ecclesia sancta Catholica, &  
Apostolica integrum conseruauit; eadem san-  
cta Synodus suscipit, & amplectitur. Quoniam  
vero hæc fides orthodoxa in primis verbo  
Dei nititur, quod verbum sacris litteris nobis  
est expressum, traditioneque Apostolica decla-  
ratum, sed & sacrorum Conciliorum œcume-  
nicorum, & vniuersalis Ecclesiæ sensu fideliter  
explicatum; ea omnia sancta Synodus in hunc,  
qui sequitur, modum profitetur.

C R E-

C R E D I M U S , & confitemur omnes v-  
triusque Testamenti Canonicas scripturas, quas  
Spiritu sancto auctore diuinitus traditas esse  
profitemur; sed & ea omnia, quæ symbolis in  
Ecclesia receptis comprehenduntur, nempe A-  
postolico, & eo, quo sancta Ecclesia Romana,  
atque Catholica publice vtitur, nempe Credo,  
&c. His, inquam, symbolis comprehensa,  
& quæcumque præterea de fide, & doctrina a  
sacris œcumenicis Concilijs sunt definita, & tra-  
dita; maximeque a sancto generali Tridentino  
Concilio; nulla hæsitatione complectimur. Sen-  
sum vero Canonicarum scripturarum omnium  
eum esse verum, & germanum credimus; non  
quem hominum, sibi stulte sapientium, vani-  
tas intulerit; sed quem Doctorum, ac Patrum  
consensus, usque sanctæ matris Ecclesiæ do-  
cuit, ac tradidit.

T R A D I T I O N E S ab Apostolis verbo, &  
vſu traditas, receptasque, ac conseruatas ab  
Ecclesia perpetuis temporibus, tametsi eas litter-  
ris non mandauerint, tamen eas omnes ut ab  
ipſius Christi ore per Apostolos acceptas, aut  
ab ipſis Apostolis Spiritu sancto dictante po-  
litas agnoscimus, & suscipimus.

SEPTEM Ecclesiae Sacra menta , quæque  
de ipsis idem sanctum Concilium Tridentinum  
mandauit , ac tradidit , ea omnia firmissime te-  
nemus . Quæcūque vero statuit aduersus omnes  
huius sæculi hæreses , ea omnia recipimus ; si-  
mulque detestamur , & anathematizamus quic-  
quid idem sanctum Concilium Tridentinum  
anathemate damnat , & detestatur .

De li-

bonis libris diligenter obseruit & superaruit .  
Cunctas invenit quoniam cunctas non est  
non quicquam mutata . Tamen illa  
interventus in multis quoniam sollicitus , multo  
mentis pars , non potest . Cetera hoc  
hunc volumen etiam omnino perdidit , et  
admodum raro tempore cuncta sibi hanc etiam  
dilectio , et dilecta , et amata . Cetera  
etiam volumen illo loco Aenea scripsit . Tunc  
debet inter se innotescere , ambari illi  
cessum esse in primis auditoque eius quia quoniam  
eiusdem scribitur atque numeri indecimam non  
volumen ( ex quo volumen sollicitus ) . Vnde etiam dicitur  
volumen omnium omnium etiam quod etiam  
volumen , et ambiq[ue]libet , et vniq[ue]longe etiam

mat 738 50

De libris hæreticorum suspectis,  
& vetitis.

C A P V T I.

 V O melius Tridentini Concilij decreto fiat satis ; scilicet ne libri vetiti , & suspecti ( quorum lectione corrumpi rudiores facile possint ) in Ecclesiis importentur ; mandat sancta Synodus , vt cum Magistratibus agant Episcopi , vt piæ memoriæ Caroli V. Cæsar is edictum accurate seruetur : Ne liceat librarijs , bibliopolis , typographis vlos libros inferre , edere , venales expōnere , quorum catalogus non sit visus , & approbatius . Rogentur quoque ijdem Magistratus , vt in singulos annos fidem ex formula Concilij Tridentini profiteantur ijdem typographi , ac librarij ; simulque obedientiam sanctæ Sedi Apostolicæ cum renunciatione , & abnegatione omnium hæresum promittere teneantur .

C A P V T II.

Q V A E C V N Q V E præterea clam in vulgus inferri , & spargi possunt , quibus magicarum præstigiarum , diuinationum , aliarumque huiusmodi rerum detestandus usus retineatur ,  
B 3 quibus

DECRETA CONCILII

quibus Satanás homines perditos dementare sollet; ea omnia (quoad fieri potest) prohibeant, execrentur, damnent, & exterminent pastores, concionatores, Episcopi.

CAPUT III.

LIBRI, quibus preces varie continentur, plerunque falsis, superstitionisque titulis asperguntur: ea omnia purgari diligenter, & ad proportionem fidei reduci Episcoporum sedulitate præcipit sancta Synodus.

De lectionibus Theologicis in Capitulis, & monasterijs.

CAPUT I.

CLERVM rerum sacrarum non prorsus imperitum esse necesse est, scilicet ut reliquis dux esse, lucemque diuini verbi præbere possit: ac maxime, ut diuinorum Scripturarum delicijs oblectatus, & imbutus, voluptates, & illecebras carnis oderit, & abijciat; malitique pane patris familias educari, quam porcorum filii quis, & glandibus obrutescere. Quare decreta

cretum Sessionis quintæ Tridentinæ Synodi  
prorsus seruandum sancta Synodus denunciat,

## C A P V T II.

P R A E C I P I T itaque in collegijs, atque mo-  
nasterijs doctos viros constitui, qui Theologiam  
doceant; quique in eo præstanto cum ordinem  
teneant, qui maxime auditoribus sit commo-  
dus, ut lectionis adminiculo non doctiores tan-  
tum, sed probiores euadant.

## C A P V T III.

C U R R E N T autem Episcopi cum Capitulis, &  
monasterijs, quacunque ratione commodius fie-  
ri queat, proposita siue pœna, siue præmio, ut  
frequens sit auditorium. qua in re plurimum  
valebit docentis industria, si sit efficax in docen-  
do; ut non tantum rem exponere, sed audito-  
rem dicendo retinere, & oblectare possit.

## C A P V T IIII.

R E L I N Q V A T V R autem Episcoporum,  
Capitulorum, & Abbatum iudicio, qua hora,  
quibusue diebus sit prælegendum.

D E

DECRETA CONCILII

De scholis.

CAPUT I.

**C**V M non minore cura parentes proles suas instituere, quam nutrire, ac fouere debent; æquum est Ecclesiam liberos, quos Christo per lauacrum regenerationis peperit, omni disciplina, ac salutaribus præceptis erudire. Docet enim Scriptura: Filij tibi sunt, illos erudi, neque enim iusta crementa iuuentus ad capescendam virtutem suscipere facile potest; nisi a pueritia ijs doctrinis imbuatur, quibus robur capere ad pietatem, & religionem colendam possit. Quod quia plerisque locis partim parentum incuria, partim pastorum negligentia contemptum est; excusso timore diuino multorum temeritas, audacia, & peccandi licentia creuit. Quare, vt huic malo semel occurratur, statuit sancta Synodus: Id curent Episcopi, vt quamprimum scholæ in vrbibus, oppidis, & pagis diœcesum suarum, si collapsæ fuerint, restituantur: si conseruatæ; colantur, & augeantur. Quibus scholis quicunque præfuturi sunt, ij discipulos fidei rudimenta doceant; symbolum Apostolorum, scilicet orationem Dominicam, salutationem Angelicam, decalogum, Ecclesiæ præcepta, & formulam Confessionis: idque latine, & vernacule

nacule iuxta formam Catechismi, qui rudibus, & pueritiae paulo post excudetur.

## C A P V T II.

M V L T O S inopia prohibet, ne filios in scho lis litterarijs enutriant : quorum tamen salutis habenda est ratio, cum sint & ipsi in Christi corpore, & familia. Quamobrem diebus festis, & maxime Dominicis, expleto vespertino officio, iubet sancta Synodus ludimagistros docere eadem rudimenta fidei, & Catechismi pro captu, & ingenio iuuentutis, quæ litteras non didicit; necnon subinde pervices interrogare, ut sciat- tur, an proficiat; atque huic negotio tam in pa- gis, quam oppidis pastores incumbant, aut sa- cellani, aut clerici, seu matricularij. Paren- tes, si suos mittere negligant, moncantur; mo- niti, nisi parcant, Magistratui deferantur. Pa- stores vero, aut ludimagistri, si id contempse- rint, ab Episcopo corrigantur: &, quantum fieri possit, in scholis puerilibus puellæ separen- tur a pueris.

## C A P V T III.

S C H O L A R V M magistri libros, au-  
toresque legant discipulis ex præscripto edicti Ca-  
roli

DECRETA CONCILII

roli V. Cæsaris piæ memoriar. Si quos alios prælegere velint, non ante tamen id tentent, quām Episcopo probati fuerint, aut eius Vicarijs. nam plerumque libri Grammatici, ac Dialectici, ab hæreticis varijs erroribus contaminati, in lumen emittuntur. Et, vt huic malo securius obuiam eatur, sancta Synodus monet, & hortatur Magistratus, & alios, quorum interest, vt insingulos annos fidei ex formula Concilij generalis Tridentini professionem, & obedientiam sanctæ Sedis Apostolicæ cum abnegatione omnium hæresum a dictis magistris scholarum, seu ludimagistris recipient.

CAPVT IIII.

M A N D A T præterea sancta Synodus, vt preces, quas vocant horarias, nemo apud se retineat; si quid in eis astu, & nequitia sectariorum aspersum senserint, quod cum Ecclesiæ doctrina non conueniat. Quorum nihil posthac prostat, & exponi possit; quod non prius recognitum, & approbatum per Episcopum fuerit, aut per eos, quibus id negotij mandauerit.

CAPVT V.

I N omnibus parochijs sint qui doceant primam

mam iuuentutem, maxime in his, quæ numerosam plebem habent; pastorque singulis mensibus diligenter inquirat, quantum proficiat pueritia; idque maxime prouideat, ut a teneris annis imbuatur timore, & amore Domini, nec corrumptatur vlla licentia, aut doctrina, quæ nec religioni, nec bonis moribus respondeat.

## C A P V T VI.

**D**E C A N I autem rurales, quos Christianitatis appellant, singulis semestribus, aut saltem annis eas scholas minores visitent; referantque diligenter Ordinario, quæ sit ratio instituendæ iuuentutis, quam quisque præceptorum inierit.

## De Seminario.

## C A P V T I.

**C**V ad hæreses extirpandas, & reddendum Ecclesiæ Dei pristinum suum nitorem, & Clero, sacerdotioque pristinum suum decus; ac consequenter, ut intra non multos annos Ecclesia mire floreat eruditione sacra, pietate, vitæque puritate; habeantque singulæ diœceses plerosque omnes ministros bene idoneos ad laudabiliter

DECRETA CONCILII

biliter obeundum munus suum , & non paucos  
excellentes eruditione , & pietate ; nihil dici, aut  
cogitari possit exquisitius illo decreto sacrosan-  
ctæ Synodi Tridentinæ , quo iubetur , vt in  
singulis diœcesibus instituantur Seminaria mi-  
nistrorum ; atque adeo iam inde ab initio Eccle-  
siæ vix quicquam præclarus, aut efficacius insti-  
tutum esse videatur, ad reddendum Ecclesiæ Dei  
florentissimum statum Litterarum sacrarum co-  
gnitione , pietate , religione , vitæque puritate ;  
sanctissimum , & utilissimum illud decretum  
complectens sancta Synodus vehementer hor-  
tatur, & obsecrat omnes Ordinis ecclesiastici vi-  
ros , maximeque eos qui bonis ecclesiasticis vtū-  
tur , in hanc rem & utilissimam , & singularis  
apud Deum & homines meriti, omnes conatus  
intendant , quo breui perfici possit vt vberem  
segetem Reipublicæ Christianæ hæc litterarum  
Seminaria proferant. Quæ vbi per ætatem ma-  
turerit, ornet Ecclesiam , & expletat horrea Do-  
mini : neque enim melius opes ecclesiasticæ,  
neque sanctius collocari possunt. Nam cum sint  
varia officiorum genera , quibus caritas erga  
proximos exercetur; tamen hoc genus officij in  
ceteris est maxime laudabile: in quo genere cum  
ecclesiastici prælucere ceteris debeant; debent  
& ipsi in tanta calamitate , ac necessitate prom-  
ptum , hilarem , ac liberalem animum præbere.

Quare

Quare præcipit sancta Synodus, vt, quamprimum fieri possit, modus constituatur facta omnium beneficiorum, atque eorum omnium, quorum decretum Concilij Tridentini Sessionis **XXIII. cap. xviii.** mentionem facit, æstimatione, quoad hæc Seminaria ponenda, & constituenda, sufficiens contributio fiat.

## C A P V T I I .

H I C autem modus vbi certam, ac præscriptam summam pecuniae comprehendenterit; tum videatur quot quæque diœcesis alumnos in literis ad Ecclesiarum adiumentum possit alere.

## C A P V T I I I .

I D vbi constiterit; quæratur locus idoneus huic pædagogio, & accommodetur supellectile. Quærantur item magistri, qui doceant: quæ omnia intra diem festum diui Gregorij proximiperfici debebunt, vel citius, vt cuique commodum erit.

## C A P V T I I I I .

S I N T autem pueri, qui assumentur instituendi, ætatis non minoris quàm duodecim

C 3 anno-

DECRETA CONCILII

annorum: teneant prima litterarum rudimenta; sitque tempus studij singulorum in Seminario quadriennium, aut eo plus, minusue, vt Episcopo visum fuerit, & ijs, quorum ex Concilio Tridentino intererit, ex præceptoris, & eorum iudicio, qui Seminario præfuerint: ne vel inutiles studijs locum aliorum, qui frugi sunt, occupent, vel bonæ spei iuuibus tempus ad confirmanda studia præcludatur. Quo exacto ij, quos in doles commendauerit, quique bonam in litteris operam nauauerint, ad maiora studia mitti poterunt.

CAPUT V.

ET cum sint tria hominum genera; alij pauperes, alij diuites, alij mediæ cuiusdam conditionis, & fortunæ, qui non ea quidem sunt fortuna vt possint sine subsidio aliquo liberos suos in studijs alere, sed tamen partem aliquam sumptuum ferre possunt; cuiusmodi sunt plurimi, qui filios habent magnæ indolis, & spei, si in litteris alerentur; decernit sancta Synodus instituenda esse duo genera portionum, vt pauperum filijs pro vietu, & amictu in singulos conferantur libræ triginta sex, quarum singulæ valent XL grossos Flandriæ. At mediæ conditionis hominum filijs, in subsidium studij, octodecim libræ:

libræ : plus , minusue , pro modo facultatum cuiusque , & ingenio adolescentum tribuatur . Sic enim & pluribus succurri poterit , & nullum hominum genus ( quod quidem indigeat auxilio ) conqueri poterit suos filios , quos habebunt boni ingenij , a Seminariorū beneficio excludi ; nulliusque virtutibus obstat res angusta domi .

## C A P V T VI.

E T cum admodum incerta esse soleant voluntas , & propositum adolescentum ; nedum puerorum , quibus locus petetur in Seminario ; pater , aut tutores declarabunt se esse eius propositi , vt , qui ex suis assumentur ad Seminarium , vitæ genus ecclesiasticum sequantur ; illudque animi sui propositum iureiurando confirmabūt .

## C A P V T VII.

R E L I Q V A vero omnia quæ ad utilitatem , atque commoditatem horum Seminariorum pertinebunt ; vt sunt collecta , rationes , prouisiones , officiarij ; ea omnia prouidebuntur in diœcesana Synodo .

De do-

DECRETA CONCILII

De doctrina, & prædicatione  
verbi Dei.

CAPUT I.

Q VOD sacrum Concilium Tridentinum de explicada doctrina in sacris Litteris expressa, eadem Synodus prouincialis seruari præcipit: scilicet ut rectores ecclesiarum omnem diligentiam adhibeant, ut singulis saltem Dominicis diebus, & festis solennibus populo sibi credito verbum Dei pure, & fideliter proponant, explicitque, ut res & oportunitas exegerint, vel Euangeliū, vel Epistolam eiusdici. omnis enim Scriptura, diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum, corrigendum, & erudiendum in iustitia. Idem pastores articulos fidei subinde, sacramentorumque fructum, & usum legitimum, maxime in illorum administratione, si sit commodum, doceant; nec præcepta decalogi, & Ecclesiæ prætermittant, vt eorum ministerio perfectus sit homo, ad omne opus bonum instructus.

CAPUT II.

H ORTATVR præterea, ut ijdem pastores Apostolicarum traditionum, ac sacrarum cætæ remo-

remoniarum vim, & institutionem pro re nata doceant. sic enim religiosius, & utilius, ac maiore reuerentia ab omnibus, qui pietatem colunt, seruabuntur.

## C A P V T . III.

C E T E R V M in exponendis quæstionibus, de quibus controuersia nobis est cum hæreticis, non iactent temere conuicia; sed caritatem erga omnes, & benevolentiam præ se ferant. Explacent autem eas quæstiones pure, ac simpliciter; doceantque quid sit credendum; ac ante omnia diluant hæreticorum calumnias, dicentium sæpe ecclesiam id sentire, quod re ipsa non sentit; caueantque ne cum volunt errorem hæreticorum fugere, in alium incident. Quod si minus docti fuerint, quam ut ea dilucide, ac solide queant exponere; sint contenti simplici doctrina ecclesiæ, hortenturque plebem ad timorem Domini, religionem, bonos mores; dehortenturque ab omni scelere, ac flagitio, atque ab his maxime vitijs, ad quæ propensos senserint esse populares suos.

## C A P V T . I V .

P A S T O R E S non ferant quenquam in suis  
D ecclæ-

DECRETA CONCILII

ecclesijs concionari sine mandato Ordinarij. Docent autem pure, Christiane, ac Catholice. Abhorreant non tantum ab omni hæresi; sed etiam ab omni superstitione, ac fabulo dogmate.

CAPUT V.

MANDAT præterea Synodus pastoribus, ne libros apud se teneant, aut legant, ex quibus corrumpi religio, bonique mores, ac studium boni operis, timorque, & amor Domini languere possit, ut sunt libri, qui lasciva, scurrilia, vana, & impura continent: ne horum librorum frequenti lectione scipios, & populos sibi creditos corrumpant. proclive est enim ut quæ quis studiose legat, & eadem doceat. Instruant autem bibliothecas suas bonorum, & piorum auctorum libris ab Academijs Catholicis approbatis, ex quibus doctrinam hauriant, quam salubriter suis popularibus docendo, & concionando possint effundere. Quisquis autem non paruerit, puniatur; & si libros suspectos, aut reprobatos seruauerit, agatur in eum, ut in suspectos agi iure debet: nisi consensu Ordinarij, aut ecclesiæ habeant ad refutationem: de quo consensu docere tenebuntur.

S I

## CAPVT VI.

**S**i pastor impeditus vel ægritudine, vel alio quoquis impedimento concionari non possit; tenetur sepe alienam operam certis temporibus, ex arbitrio tamen, atque mandato Ordinarij, ad id munus adhibere, & eos apud populum suum habere commendatos, tanquam operarios mercede sua dignos. Quod si contempserit, Episcopus sumptu eiusdem pastoris id curet.

**D**e cultu, cæremonijs, & officio diuino.

## CAPVT I.

**C**V M in vniuerso cultus diuini genere præcipuum, ac sanctissimum illud sit, quod in offerenda corporis ac sanguinis Christi Eucharistia sacerdotes exequuntur; ante omnia sancta Synodus prospiciendum iudicat, ne quid in tanto mysterio celebrando per incuriam, inscitiam, vel contemptum admittatur, ex quo eius mysterij dignitas apud populum minuatur: ne ex sacerdotum fordibus res, que sacrosancta est, in contemptum abeat; idemque probrum ecclesiasticis inferri possit, quo filios Heli sacerdotis

D 2      summi

D E C R E T A C O N C I L I I

summi infames fuisse sacræ Litteræ referunt, nempe quod nequitia, & improbitate populum reuocarent a cultu, & sacrificijs. Quare sancta Synodus ante omnia, quod ad hanc rem attinet, quæcunque sanctum oecumenicum Tridentinum Concilium statuit, obseruari mandat, atque omnibus modis hortatur, ut quicunque ad tremendum Missæ sacrificium celebrandum accesserit, is in primis mentem puram, & attentam ad tanti Sacramenti mysterium perficiendum adferat: ne nisi bona conscientiæ testimonio præditus, & pænitentia sacramentali, si necesse fuerit, præparatus, & probatus, ac debita oratione prius accommodatus ad corporis & sanguinis Christi venerabile Sacramentum Deo Patri offerendum se conferat. Qui contra fecerit, a pastore, si sit in parochia; a Decano, aut Præposito, si sit in Cathedrali, aut collegiata ecclesia, monitus, nisi resipiscat, Superiori denuncetur seuere castigandus.

C A P V T I I.

Q V I C V N Q Y E ad celebrandum se obtulerit, ac pridie temulentus, insolensue fuerit, aut crimen ullum notum admiserit; a Rectore ecclesiæ castigandus non modo propter crimen admissum, sed & ob scandalum, & irreuerentiam illatam

illatam Sacramento denuncietur Episcopo, aut eius Vicario, vel Officiali. Rector vero, si denunciare neglexerit, tanquam tanti sceleris disimilator puniatur. Est enim valde præpostorum, & indignum quod velint sacerdotes omnē a laicis reuerentiam huic Sacramento exhiberi; nec ipsi tamen moribus, & religione sua exhibendam declarant.

## C A P V T III.

I N Missis, quæ in Choro canuntur; siue sint solennes, siue Dominicæ, aut feriales; sic canantur & a Choro, ac presbytero, & reliquis, vt non tantum aures voluptatem, sed mentes utilitatem capiant. Quoniam vero in his quædam ad doctrinam pertinent, & eruditionem fidelium; vt Epistola, Euangeliū, Symbolum: quædam ad laudes, quædam vero ad preces; statuit sancta Synodus, vt quæ ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ita legantur, & canantur vt præsentes distincte exaudire singula verba possint. Quare in Symbolo canendo placet nec organa, nec Musicam adhiberi; nisi sit simplex, ac talis vt singula verba sine repetitione possint intelligi. Que vero ad laudes pertinent; vt sunt hymni, Gloria in excelsis, Sanctus; in his Musica locum habeat: sed nec lasciuia, nec choreis potius, quam

D 3 Choro

DECRETA CONCILII

Choro congruens; sed grauis, ac mouens pios affectus. Quæ vero in Missis ad preces referuntur, ea siue legantur, siue canantur, sic fiant, ut affectus deprecantis potius, quam exultantis lætitia demonstretur. Id autem curent Episcopi in sua quisque Ecclesia, aut diœcesi.

CAPUT III.

ORGANORVM usum in Missis sic seruari statuit sancta Synodus, uti Concilio Tridentino mandatum est: id est, ne modulatione lasciuas cantiones imitetur. Ceterum quæ in Choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente: non autem organis, quæ sic ædificare nequeunt ut viua vox, piæ mentis interpres, & nuncia. Tamen ad ornatum cultus diuini liceat his modulis organicis uti in Prosis, Offertorio, Sanctus, & Agnus.

CAPUT V.

SEQUENTIAS, quas Prosas appellant, recognoscant Episcopi, aut quibus hoc negotiū dederint; antiquasque, & sensu commendabiles, & approbatas usu veterrimo conseruent. Ceterum si quæ sine legitima auctoritate inuenientur, & cani cœperunt, ex diligenter examinentur:

minentur: ne sit earum frequentior usus in ecclesijs.

## CAPUT VI.

**C**ÆREMONEÆ omnes, quæ signacula sunt pictatis, & religionis Christianæ, quasque vel ab Apostolis, vel ab ecclesiæ Catholicæ traditione quasi per manum accepimus; ut sancte, & pie sunt inuestæ, sic religiose conserventur in ecclesijs. In his autem, ubi fides, & deuotio accesserit, Spiritus sanctus operatur, ac præsentium mentes mouet efficaciter.

**Q**uæ vero particulares sunt in singulis ecclesijs huius Provinciæ, de his Episcopi considerent quam bene analogiae fidei, & pietati Christianæ conueniant; adhibeturque Augustini iudicium super ea re scribentis ad Ianuarium epistola C X I X.

**N**OVAE autem cæremoniæ nullæ in Ecclesijs recipiantur sine Episcopi iudicio. Qui secus fecerit, puniatur; seruenturque decreta Concilij Tridentini de cæremonijs Ecclesiasticis cœfecta.

**S**VPERSTITIONES omnes, si quæ in ecclesijs cæremoniarum nomine inoleuerunt, ut sunt quidam prescripti muneri cereolorum, & alia huius-

DECRETA CONCILII

huiusmodi per Episcopos , facta huius rei diligenti disquisitione, prorsus tollantur; agaturque sedulo ut Decani rurales , & rectores Ecclesiarum renunciēt in Synodis diœcesanis , quicquid circa hæc cognouerint esse corrigendum .

CAPUT VII.

IN Choro cum psallitur, Canonici omnes qui in Choro fuerint, & facellani psallant; nec sint in sedibus suis otiosi ; nec putent se functos officio, si vicaria tantum opera cultum diuinum celebrari current : modo tamen psallere per valetudinem queant, nec alijs impediti iustis de causis fuerint.

IN omnibus Cathedralibus & collegiatis ecclesijs singuli Canonici teneantur per vices altaris ministerium subire, ordinem scilicet sacerdotij consecuti; & in Choro hebdomadarum officium , quod vocant, præstare ; nec omnia ea committant Capellanis, vt fit in quibusdam ecclesijs : saluis tamen fundationibus ecclesiarum, in quibus aliter sit constitutum.

CAPUT VIII.

LEGENDAS & historias Patrum, quæ legi

gi solent in ecclesijs, Episcopi diligenter per se, vel alios, quos ad hanc rem delegerint, examinent, ac repurgent: ne spuria, & incerta pro veris, certis, & germanis historijs legantur; & ea quidem sic repurgata nec cursim, nec lentius legantur in ecclesijs: vtroque enim impeditur auditor, ne intelligat. Legantur autem distincte, presse, & intelligenter.

## C A P V T I X.

Q V O N I A M multitudine suffragiorum, precum, & psalmorum additiorum in pluribus ecclesijs propter temporis angustiam fieri vix potest, vt attente, deuote, ac religiose ea omnia vel canantur, vel legantur; placet sanctæ Synodo per Episcopos, & duos de Capitulo, aut de monasterijs, vt res postulauerit, ea rescindi, quæ adiecta, & aduenticia in seruitio diuino cognouerint: vt sanctius, & deuotius perfici possit, sitque tempus aliquod relictum studijs, & sacra- rum Litterarum interpretationi. sit autem eius rei potestas penes Episcopos, & Clerum in Synodo dioecesana. Quod si Musicam in huiusmodi seruitio adhiberi contigerit; tollatur tamen illa prolixitas, quæ ad rem non pertinet, qua solent in fine Antiphonarum in Cathedrilibus ecclesijs maxime prolixius abuti.

E D I-

DECRETA CONCILII

DISTRIBUTIONES Canonicis, & reliquis percipientibus ex praescripto Synodi Tridentinæ assignentur matutino officio, Missæ maiori, Vesperis, & anniuersarijs officijs pro mortuis presentibus. qui matutino quidem officio, ac Vesperis ante primi psalmi finem; in maiore Missa autem ante Epistolam absolutam in Chorum se recipient: nec inde exeant ante officium plane perfectum; nisi iusta, & rationabili causa urgente. Matutini tamen officij tempore licebit Canonicis sacri audiendi causa Chorū relinquere, reddituris tamen. alioqui distributiones non recipient.

IN Choro colloquia nulla permittantur, sed intendant omnes diuino cultui. Qui contra fecerit, nisi monitus quiescat; priuetur eius horæ distributione.

DEAMBULATIONES in templis diuini officij tempore omnino tollantur; agantque Episcopi, & Capitula cum Magistratibus, ne id laicis quoquo pacto licet; & poena constituatur transgressoribus. Canonicis autem pereat eius diei totum emolumenū distributionis ordinariæ: Capellanis vero arbitraria poena, & Vicarijs inflatur. Correcti si pergent, cōtumacesque se præbeant; ut rebelles puniantur Superioris arbitrio.

Q u o-

## CAPUT X.

QVONIAM minime conuenit prophana,  
& sæcularia sacris mysterijs adhiberi , vetat sancta Synodus proclamationes in templis fieri eorum rerum omnium, quæ ad sæcularem negotiationem pertinent: maxime , quo tempore Missæ sacrificium celebratur . Percussit enim Dominus Aaronis filios , quod ignem prophanum in Tabernaculum tulerint. Sed id licet in egressu templi absoluto sacro .

## CAPUT XI.

QVONIAM certis festis diebus solent prætextu recreationis honestæ multa a personis Ecclesiasticis patrari , quæ licentia crescente graue pariunt fidelibus offendiculum, propter scurrilia quædam , & inepta , quæ parum decenter fieri quibusdam locis, & ecclesijs solent, redolentque paganitatem potius , quam Christianam mode- stiam ; hinc fit , vt districte mandet, ac præcipiat ne quicquam horum futuris temporibus fieri patientur Episcopi , siue alij Superiores ; ne in homines ordinis Ecclesiastici illud attribui iure possit Apostoli dictum : Sedit populus edere , & bibere , & surrexerunt ludere.

E 2 D o-

DECRETA CONCILII

DOCEATVR præterea populus dies festos religiosa pietate, non ingluuie, & temulen-  
tia colere. Ceterum cum diebus festis vt plurimum vulgus ad laxiorem, & dissolutiorem vi-  
tam plerumque seipsum effundat, quām reliquis  
diebus; quo maiore reuerentia, & pietate queant  
obseruari ab omnibus, videant Episcopi sint ne  
aliqui festi dies, quos præstet esse profestos, id est,  
vt vocant, operarios; atque his diebus renun-  
ciant popularibus integrum esse operas consue-  
tas exercere: necnon prouideant ijdem Episcopi,  
vt & in festis diebus, & in ieunijs indicēdis vsum  
Metropolitanæ, quoad fieri possit, sequantur,  
demptis patroni festis.

CAPVT XII.

S V P P L I C A T I O N E S publicæ, quas  
Processiones vocamus, prius, quām fiant, de-  
nuncientur populo, & causæ explicitur cura ab  
Episcopo, aut Clero decretæ fuerint; quo reli-  
giofius, & maiore fructu perfici queant. Populo  
autem in statione collecto fiat concio. Post con-  
cionem celebretur sacrum; moneanturque om-  
nes in templo eo toto tempore persistere, ora-  
tionique instare; quo melius & furorem diui-  
num auertere, & fauorem conciliare possint.  
eius enim rei causa vt plurimum in ecclesia sup-  
plicationes fieri solent.

S V P-

S V P P L I C A T I O N E S , quas vt vſitato vocabulo Letanias dicimus , grauiter , religioſeque , humili , & quaſi depreſſa voce cani debent ; vt ea cæremonia pius , & attentus affectus , deprecantis ecclesiæ declaretur . Propterea statuit sancta Synodus , ne incongrua vociferatione , aut modulis minime conuenientibus eiusmodi Letaniæ cantentur ; quo populi deuotio magis accendatur .

## C A P V T   X I I I .

A R C H I E P I S C O P O , vel Episcopo rem diuinam in Pontificalibus quoquo pacto in ecclesia sua celebranti ſemper inſeruant , & assistant Archidiaconi duo , aut dignitates proximæ , aut ſeniores ecclesiæ Canonici , vt maxime viſum fuerit Episcopo .

## C A P V T   X I I I I .

I N T R O D V C T A confuetudo , quaꝝ potius corruptela dici potest , abigendi per ſtrepitum eos qui Chorū tardius ingrediuntur , quam pro more conueniat , non ſine ſcandalo preſentium cultum diuinum interturbat . Cui ſcandalo ſancta Synodus prouidendum putauit : ne errorem errore grauiore videantur caſtigare . Propterea

E 3 mandat

DECRETA CONCILII

mandat eam consuetudinem prorsus aboleri; nec prohiberi quenquam, quo minus Chorum ingredi possit: ita tamen, ut qui serius sit ingressus, distributione eius horae priuetur, nisi legitimo impedimento iustum excusationem habeat. Si quis tamen aliter se gerat in Choro, quam pro more decet, ab eo, qui praest officio, signo aliquo, aut manus attactu moneatur.

CAPUT XV.

IN pagis, & parochijs hora constituantur Missæ diebus festis & Dominicis celebrandæ: per hymen hora nona; per æstatem hora octaua: neque ab eo more Parochus quavis de causa recedat. Extra natalis Domini diem duas in die Missas nemo celebret; nisi necessitatis causa, & per Ordinarium cognita. Hora quoque Vesperarum in locis, vbi dici consuetū est, paulo ante tertiam.

Quia tintinnabula, & campanulas ad harmoniam quandam pulsare solent, caueant omnino ne huiusmodi pulsatione cantiones turpes, inhonestas, & vulgo iactatas imitentur; sed potius hymnorum, & canticorum ecclesiæ modulations. Si quis non paruerit, puniatur; ut qui multis labendi occasionem præbuerit; & in re sacris dicata, spurca, & inhonestæ attulerit.

IN

IN ecclesijs siue Cathedralibus, siue collegiatis non constituantur Vicarij, qui Canonicas, quas vocant, horas in Choro canant; nisi aut sacerdotes, aut in sacris Ordinibus constituti, aut saltem Lectores ordinati, atque hi, quantum fieri potest, sint cælibes, quorum mores, vitaque probata fuerit. Nec permittantur in Choro psaltere, nisi vestitu, & habitu corporis ministros esse Dei, & ecclesiæ demonstrent.

DECANI, seu Præpositi collegiatarum ecclesiastarū statuta Capituli auctoritate ordinaria, aut alias stabilita, & confirmata, maxime quæ diuinum officium spectant, seruari; &, si antiquata sint desuetudine, restaurari diligenter current: nec congregent Capitulum, qua hora Canonici in Choro esse debeant, quantum fieri possit.

### De ministeriis ecclesiasticis.

IN ministerijs ecclesiasticis non minor delectus adhibendus est, quam fuit in Ordine sacerdotij Leuitici: in quo cautum mandato diuino legimus, ne, qui vitio aliquo corporis laboraret, ad consorium gerendi sacerdotij vocaretur. Qua in re demonstratum est quantoper se sit prouidendum, ut in ecclesia nemo ministerium

## DECRETA CONCILII

sterium accipiat , quem nec ætas idonea , nec  
indoles , nec vitæ integritas , & eruditio com-  
mendauerit. Et eam ob rem mandat Timotheo  
Apostolus , ne cui cito manus imponat ; nec pec-  
catis alienis communicet. Si enim recte Moyses  
socii consilium recepit , vt viros fortes , pru-  
dentes , alienos ab auaritia populo præficeret ,  
qui sæcularia obirent ministeria ; multo magis  
idem in rerum diuinarum procuratione debet  
obseruari . Quare sancta Synodus inhærendo  
per omnia decretis sacri Concilij Tridétni , hæc ,  
quæ sequuntur , in Ordinibus , ministerijsque  
conferendis omnino retinenda constituit.

### CAPVT I.

IN minoribus , & sacris Ordinibus conferen-  
dis Episcopi comprouinciales cum teneant ordi-  
nem , qui in Metropoli seruabitur : scilicet qui  
in Pontificali Romano habetur .

### CAPVT II.

Q u o t q u o t promouendi sunt , pridie  
eius diei , quo conferri Ordines debent , aut prius ,  
si Episcopo ita videatur , veniant probandi ; ad-  
sintque hora , vt minimum , octaua ante meridię .  
qua hora vel Episcopus , vel doctus vir aliquis  
doctri-

doctrinam Christianam explicet, summaria quadam declaratione præcipuorum capitum Catechismi, ut sic discere queant, quæ sacerdotij ministerio conueniunt.

## CAPUT III.

HORA autem post meridiem secunda pro more probabuntur iusto examine promouendi. In quo Subdiaconi nulli admittantur, nisi qui Grammaticam probe teneant, & intelligent quæ legerint: Diaconi; nisi Catechismi Christiani rationem reddant interrogati: vtpote de Symbolo Apostolico, præceptis Decalogi, & ecclesiæ Sacramentis, & de his præterea quæ conueniunt Ordini Diaconatus. Idem quoque fiat de presbyteris. Qui omnes teneantur testimonium afferre vitæ, & probitatis suæ: quod testimonium Decanus ruralis, & pastor loci, in quo resident, dare poterunt. Qui si secus, atque res habeat, testificati quacunque ex causa fuerint, sevère puniantur. Dominica quoque die siue per mensem ante Ordines futuros, aut prius pastores ecclesiarum nominatim denuncient populo eos qui promoueri velint ad sacros Ordines, ut liceat opponere si quid vitij deprehendi posset: & huius proclamationis factæ adferant testimonium.

## DECRETA CONCILII

## CAPUT IIII.

EORVM tituli, qui Subdiaconatus Ordinem quæsierint, si sint patrimoniales, an sint sufficientes, nec ne; aut per fraudem, aut dolum quæsiti; diligenter expendatur: nec recipiantur, nisi Decani ruralis, vel Officialis, aut utriusque testimonio per litteras expresso comprobentur, sintque ut minimum quinque librarum grossorum in singulos annos. Si sint beneficiarij; ita valeant, dummodo constiterit beneficium fructus idoneos habere. Iuret autem promouendus non alienaturum a se huiusmodi titulum patrimoniale, nisi aliunde sit sibi prouisum; agaturque cum ciuili Potestate, ut edicto caueatur ne huiusmodi titulus alicetetur. Beneficiarium vero non resignaturum, nisi aliud beneficium sufficiens ad se alendum susceperit. Et, ne in ea re fraus committi possit, nullam Episcopi, aut eius Vicarij resignationem simplicem admittant; nisi ex litteris procuratorijs, aut alijs constiterit id beneficium, quod resignandum proponetur, tituli loco non esse. Si quis vero pensionem habuerit, quæ tituli loco sit, ne extingui possit; nisi aliunde habeat, quo se alat. Qui fraudem in ea re, dolumue commiserit; arbitrio iudicis ordinarij grauiter castigetur.

REIE-

## CAPUT V.

**R E I E C T U S** ab Ordinario si Superiorem adeat, vt negatum beneficium eius auctoritate obtineat; Superior illud beneficium illi nulla ratione cōferat, nisi cognitis prius causis reiectionis. Et si idoneæ fuerint, cur rejici debuerit, omnino non conferat.

## CAPUT VI.

**Q** uo<sup>t</sup> qy o<sup>t</sup> habēt curata beneficia vniuersitatis ecclesijs, vt Capitula, & Abbates, non prius committant pastores ijsdem beneficijs curatis, quam præsentati Ordinario fuerint, & accepti ab eo: quoniam populus eius curæ commendatus est. a quo ijdem rectores potestatem, quam curam animarum vocant, accipient. Nec possint aut Abbates, aut Capitula admissos, & approbatos ab Ordinario rectores reuocare, nisi consenserit Episcopus; & ijdem rectores constituti mandatis Episcoporum omnino pareant; ab ijsque corrigantur, si quid deliquerint.

## CAPUT VII.

**C**URATI adminicularios sacerdotes non recipient ad ministerium Sacramentorum, &

F 2 reliqua

DECRETA CONCILII

reliqua munera quacunque mercede , nisi Episcopo oblati, acceptique ab eo, & approbati fuerint , & eius concessionis litteras habeant , & pastoribus ostendant .

CAPUT VIII.

MONACHI cuiuscunque sint ordinis , aut status, sacerdotalium confessiones non audiant ; ac ne sacerdotum quidem ; nisi id Episcopus , habita huius rei probatione , aut Vicarius consenserit . Cuicunque vero rite probato Episcopus id concederet ; caueat ne loco indecenti , neve tempore , quo dedebeat , hoc Sacramentum Pænitentiae ad ludibrium disciplinæ Christianæ ministret .

CAPUT IX.

QVI præfunt fabricis ecclesiarum nullos sacerdotes admittant ad suffragia , & sacrificia legatorum piorum causa præstanta ; nisi ab Episcopo , aut eius Vicario probatos , & ad id ministerium destinatos pastoris voluntate . Cui , quod ad officium ecclesiasticum pertinet , pareant : ne per licentiam aditus improbis , & vagis ad ecclesias concedatur cum detimento , & scandalo publico . Et qui admissi fuerint , pastorem adiuvant in cultu , & officio diuino .

M A-

## CAPVT X.

M A T R I C V L A R I I , & custodes ecclesiarum munera sordida , & plane laica non obeyant : ne sint publicani , siluarum custodes, villici locaticij ; nec vestitu præ se ferant aliud , quam castum , & modestum ecclesiæ ministerium , cui sunt attributi . Veste s , ornementa , supellectilem diligenter conseruent , exponantque , & repenant honeste ut dignum est . Qui id non honeste præstiterit , fructibus Episcopi iudicio priuetur ; & si necesse fuerit , officio submoueatur .

De vita , & honestate Clericorum .

## CAPVT I.

Q V A N T V M probri , & incommodi ebrietas adferat , cum omnibus ordinibus Republicæ , tu Clero maxime , res ipsa docet . Atque eam ob rem ebriosum hominem nauigio iactato sine ullo gubernaculo Salomon comparat . Nec enim ullum potest virtutis , aut mentis constans officium præstare , qui temulentiam , & ebrietatem sectatur . Propterea lege veteri sacerdoti mandabatur vino ut abstineret , quo tempore

F 3 munus

DECRETA CONCILII

munus sacerdotij esset obiturus. Quare præcipit sancta Synodus, ut quicunque in Clero, id est, in sorte Domini fuerit annumeratus, ab hac ebrietate, & crapulæ macula se prorsus abstineat. Tollatur autem omnino turpis ea consuetudo, quamutuo se quādoque prouocat ad haustus æquales, certantque hac infamia reliquos vincere. Isaias enim ijs execrationem denunciavit, qui potentes sunt ad bibendum vinum. Quicunque vero ex Clero hanc normam contempserit, nisi a Superiore monitus paruerit, castigetur: castigatus si non resipuerit; suspendatur ad tempus siue ab officio, siue a beneficio.

CAPUT II.

HOMINI ecclesiastico, quacunque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas in mensa, quam sumptus: plus dedecoris exquisitus apparatus, quam simplex: plus molestiæ longus acubitus, quam breuis, & naturæ sufficiens. Sit ergo cultus in mensa, & conuiuijs potius in gruitate, sobrietate, & sale conditis sermonibus, quam in pompa, & delicijs: atque ita detestetur Clericus commissiones; quæ ventri sic seruiunt, ut menti noceant.

CON-

## CAPVT III.

CONSORTIVM mulierum sacerdoti nō conuenit, quem castitas, & continentia ornare perpetuo debent: & vt ut castitas seruari queat in muliebri consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest. Quare præcipit sancta Synodus, ne qui sacros Ordines susceperit, in familia secū habeat mulierem extraneam, de qua suspicio facile sinistra concipi possit. quam suspicionem vitare nequeunt, qui iuuenes, cultas, procces, otiosas, impudentes, mali nominis ac famæ, aut quas anteactæ vitæ macula contaminet, vel secum alunt, vel frequenter aut adeunt, aut admittunt. Si quis hac parte peccauerit, monitus, castigatusque, nisi animum & vitam mutauerit, grauiter Ordinarij arbitrio puniatur.

## CAPVT IIII.

CLERICI gestu, vultu, habitu, & vestitu statum, & ordinem suum profiteantur. Qui eam disciplinam neglexerit; & cum vestitum ambierit, qui deceat potius militem, aut laicum, quam Clericum; castigetur, cogaturque in ordinem redigi.

NEC

DECRETA CONCILII  
CAPVT V.

N E C familiam habeant Episcopi, reliquique omnes ordinis ecclesiastici, nisi recte institutam, moribus probatam, cultu & vestitu moderatam; quæ regulæ, ac disciplinæ domesticæ certū apud eos, qui foris sunt, iudicium præ se ferat.

C A P V T VI.

C L E R I C I ne tabernas potorias adeant, neque diuersoria frequentent, nisi sint viatores; nec omnino se misceant laicis compotantibus. vilescit enim plurimum ex ea turpi, & indecora consuetudine ecclesiastici ministerij dignitas.

C A P V T VII.

S A C E R D O T E primitias celebrante, gratulatione publica æquum est auspicium tanti ministerij hilariter excipi: sed ita tamen id conceditur a sancta Synodo, vt eam gratulationem, ac lætitiam nulla turpitudo vitiet. Absit igitur in conuiuio temulentia: ludicra omnia, cuiusmodi sunt saltationes, choreæ, & huiusmodi reliqua prorsus tollantur. Seruetur autem decorum per omnia, ac sacerdotalis dignitatis habeatur ratio.

Dc

## De examine Episcoporum.

**E**CCL<sup>E</sup>SIA Cathedrali vacante fiant ante  
omnia publicæ supplicationes , & preces ,  
quibus religiose postuletur a Deo vt Sedem tāti  
ministerij nemo suscipiat , & occupet , nisi quem  
ipse vocauerit , & miserit , quemque ad legitimam  
functionem dono spiritus sui accommodauerit .  
Vbi autem vel electio , vel postulatio , aut nomi-  
natio facta fuerit ; per eos , eumue , quorum aut  
cuius intersit , auctoritate Metropolitani , aut , si  
defuerit , vicinioris Episcopi Prouinciæ affixis sce-  
dulis denunciatorijs ad valvas vacantis ecclesiæ  
denuncietur patere aditum omnibus , qui sciant  
aut impedimentum , aut vitium esse aliquod  
quamobrem electus , vel postulatus , aut nomina-  
tus minime promoueri debeat ; vt libere , ac tuto  
eidem Episcopo , aut Archiepiscopo denuncianti  
intra tempus definitum significant : idemque as-  
sumptis secum duobus vacantis ecclesiæ Cano-  
nicis testes productos audiat , & examinet : quæ-  
raturque de natalium integritate , de ætate , an sit  
annorum triginta ; de vita , moribus , & exer-  
citij ; de gradu , statu , facultate , an Doctor , an  
doctus saltem ; sitque ijs virtutibus prædictus ,  
quas Apostolus in Episcopo requirit ; & an sex  
mensium spatio in sacro Ordine fuerit constitu-  
tus . Quæ omnia fideliter descripta , ac ciusdem

G Episcopi ,

DECRETA CONCILII

Episcopi , aut Archiepiscopi manu, ac sigillo firmata, & obsignata mittantur ad S. D. Papam, vt sufficienter instructus confirmare tutius electū, postulatum, aut nominatum queat. Sed & fidei, & obedientiæ professionem, quam præstare idem electus, postulatus, aut nominatus teneatur, mittat idem Archiepiscopus, aut Episcopus vicinior ad Sedem, quo cognoscatur electus, postulatus, nominatus esse communionis Catholicæ.

De examine pastorum.

**T**N pastoribus constituendis, aut instituendis seruari præcipit sancta Synodus quicquid per sacrum Tridentinum Concilium decretum est; nomineturque ab Ordinarijs in Synodis diœcessanis, qui examen sancte, & nulla fraude exequatur, vt maxime conuenire viderint Ordinarij, & vt habetur Sessione **xxiiii. cap. xviii.**

De residentia Episcoporum, &  
Curatorum.

CAPVT I.

**S**ANCTVM Tridentinum Conciliū mandat Episcopis, vt in diœcesi sua quisque residat.

deat. Id vero omnino seruandum sancta Synodus declarat. nam cum prælucere reliquis doctrina, & vita, vigilantia tutari greges suos, & pericula omnia speculari, & auertere debeant; id quomodo præstare poterunt absentes? Itaque præsentia sua doceant Episcopi, quanta solicitudine gregibus prospiciant.

## C A P V T . II.

**I**I vero si absint diutius ab ecclesijs suis, nec iusta, aut necessaria causa, cur absint, reddi possit; plane demonstrant de salute ecclesiarum suarum se non esse valde sollicitos, nec satis prouide revt nomen Episcopi re ipsa sustineant. Quare seruandum erit omnino Tridentini decreti mandatum: id est, ne diutius quam per trimestre in anno sit absens Episcopus a sua diœcesi; nisi causis legitimis excusetur, quas exponere Metropolitano debet. qui secus fecerit, pœnis eodem decreto contentis castigetur.

## C A P V T . III.

**D**E N T autem operam Episcopi, si abesse aib ecclesijs contigerit, id ne fiat Aduentus, & Quadragesimæ tempore; nec diebus festis solennibus, quibus maxime conuenit Episcopos ministerium obire suum in ecclesijs.

DECRETA CONCILII

De pastorum residentia, & eo-  
rum officio.

CAPUT I.

PASTORES, ac rectores ecclesiarum Tri-  
dentini Concilij decretum de residentia ser-  
uent. Quod si horum aliquibus non erit inte-  
grum, aut fortasse commodum in ecclesijs, quas  
obtinent, residere, pastorisque munus exerce-  
re, intra dies quindecim post Purificationis fe-  
stum eas ecclesias idoneis, & approbatis resi-  
gnent. Id vero si contempserint; conferat Epi-  
scopus, aut qui ius habet conferendi, monitis ta-  
mē prius patronis, ut iure suo præsentandi vtatur.

CAPUT II.

PASTORES non modo præsentia, sed  
officio, ac ministerio resideant in suis ecclesijs;  
ac per se, quantum liceat, doceant, sacrificium  
offerant, Sacramenta ministrent.

CAPUT III.

VENERABILE corporis Christi Sacra-  
mentum ad ægros non perferant rectores, nisi  
stola, & superpellicio decenter ornati, lumine, &  
camp-

campanula præeunte; quo populus admoneatur officij sui tum erga Sacramentum, tum vero erga laborantem infirmum.

**Q**væ septima Sessione Tridentini Concilij decreta, & explicata sunt, nec aliud sanctæ Synodo constitui super hac re visum est, quam ut seruentur.

### De visitatione.

#### C A P V T I.

**E**PISCOPI visitando, ceterique, quibus visitandi hæc prouincia iure, vel consuetudine mandata est, Tridentini Concilij decretum omnino seruent, ac diligenter considerent quid in gregibus ecclesiæ sit ægrum, aut sanum, debile, aut firmum; confractum, aut solidum. Hæc enim proprie ad Episcopum pertinere nomen ipsum indicat. In id autem quantopere sit incumbendum, Petrus & Paulus non præcepto tantum, sed exemplo docuere, ut ex Actis Apostolorum facile colligitur. Quæ diligentia si contemnatur; reliquum est, ut ouilibus ad perniciem adductis, seuerius ruinas, & interitum e manibus pastorum requirat Dominus. Quare sancta

G 3 Syno-

H D E C R E T A C O N C I L II

Synodus serio præcipit, vt hoc tam salutare, ac necessarium munus omnes, quorum interest, nec perfunctorie, nec aliena, quantum fieri possit, opera subeāt; sequāturque & Episcopi, & Archidiaconi per omnia præscriptum Conciliij Tridentini.

C A P V T II.

I N visitatione primum cognoscant de fide, vitæ sanctimonia, ac moribus; siue visitatio fiat in monasterijs, siue Capitulis tam Cathedralibus, quam collegiatis, vel etiam alijs ecclesijs. Quoniam id præcipue spectandum est, ne doctrinæ sinceritas vlo errore corrumpatur; nec præterea vitijs vita maculetur. Cognoscant deinde de regula, ac statutis; an seruentur, an negligantur; & singularite, ac ordinate constituantur.

C A P V T III.

E X T E R N A etiam visitando non negligent: vt sunt habitus, decens tonsura, & huiusmodi reliqua.

C A P V T IIII.

S E D illud præcipue spectent, quam recte, & diligenter pastores ministeria sua obeant; siue docen-

docendo, siue Sacra menta ministrando, & venerabile Sacramentum, & Vnctiones, & Baptisteria honeste conseruando. Cognoscant præterea de bonis ecclesiarum, ac supellecstile, de bibliothecis, & alijs huiusmodi, ne quid per negligenciam pereat. Prouideant etiam ut & fundationes obseruentur, & eleemosynæ, liberalitate piorum hominum institutæ, pauperibus nulla fraude distribuantur.

## C A P V T V.

O M N I A, si quæ deprehenderint visitando, & ea publica fuerint, castigent publice: si occulta; sic punient, ne offendiculum nasci possit. Sic deformata reformat, ut visitationis fructus omnibus innotescat.

De potestate, ac iurisdictione  
ecclesiastica.

## C A P V T I.

N I H I L dubitandum est duplex esse forum ecclesiasticum a Christo nomine Clavium nobis insinuatum: alterum Sacramenti Pænitentiæ, quod propriæ ad conscientiam spectat, in quo

D E C R E T A C O N C I L I I

quo reus non nisi ex propria confessione soluitur , & ligatur , alterum vero iurisdictionis , & regiminis externi: in quo reus non solum ex propria confessione , sed etiam per testes conuincitur , & iudicatur . quo iudicio publica delicta corrigitur , & puniuntur : ne per ea homines ab æterna beatitudine secludātur , sed ad vitā æternā perueniant.

C A P V T II.

C V M Q V E in hunc finem excōmunicatio-  
nis gladium , veluti neruum ecclesiasticæ disciplinæ a Christo datum esse constet , quo contumaces , & rebelles a Sacramentis , & communione fidelium separat , & prēcidat , sane iuri diuino , ne-  
dum sacris repugnat Canonibus quod iudices lai-  
ci , quibus de rebus ecclesiæ disponendi nulla est  
attributa potestas , non raro prohibeant , man-  
dentque iudicibus ecclesiasticis ne excōmunica-  
tum a iure declarēt , & denuncient ; aut ne qué ex-  
cōmunicent ; vel vt latā excōmunicationis senten-  
tiā reuocent . Proinde sancta Synodus obsecrat ,  
& obtestatur in Domino serenissimum , ac inui-  
ctissimum Regem Catholicum , aliosque Princi-  
pes , Dominos , & Magistratus ciuiles vt ab huius-  
modi prohibitionibus , & mandatis abstineant .  
Quin potius , si quod absit , iudicem ecclesiasti-  
cum sua iurisdictione , & potestate abuti contige-  
rit ,

rit, id ad Superiores eius ecclesiasticos referant; sintque memores pœnarum a sacris Canonibus super his inflictarum.

## C A P V T III.

P R O H I B E T autem hæc sancta Synodus, decretis Concilij sacri generalis Tridentini inhærens, omnibus, & singulis iudicibus ecclesiasticis, ne leuiter huiusmodi gladio feriant, sed alijs, vbi cunque commode fieri poterit, tam in procedendo ac definiendo, quām exequēdo iuris vt tantur remedij, dicti sacri Concilij inuiolabilis præcipit auctoritas. Et, si pecuniariam pœnam indexerit iudex, ad pios vsus mox, vt exacte fuerint, assignentur.

## C A P V T IV.

V T Q V E dispendiosæ litium protractioni obvietur, decernit quod in omnibus actionibus personalibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus iudex curet, quoad eius fieri possit, reum comparere personaliter, atque ad factum suum proprium respondere, non admisso procuratore; nisi de legitimo ipsius rei saltem summarie, aut verisimiliter constet impedimento.

## DECRETA CONCILII

## CAPVT V.

V B I autem reus comparuerit, si interroga-  
tus a iudice debitum fateatur, illico iudex dabit  
ei præceptum vt soluat infra tempus de stylo, vel  
iure constitutum; aut si illud statim, ac simpli-  
citer fateri nolit, sufficere poterunt tres, aut qua-  
tuor actus, seu termini iudiciales; videlicet peti-  
tio actoris, & responsio rei ad petita. quæ si fue-  
rit affirmativa, seu confessoria, statim cōdemne-  
tur. Sed si negativa fuerit, & illico probetur, con-  
tinuo quoque poterit ferri sententia definitiva;  
nisi reus in testes excipere, & contrarias defen-  
siones proponere velit. quo casu breuis ei termi-  
nus, siue dilatio pro ratione, & qualitate negotij  
præfigi debet.

## CAPVT VI.

S I vero in ius peremptorie vocatus nec se si-  
stere, nec litem contestari velit, citetur iterato cū  
monitione vt ad libellum, seu petitionem sum-  
mariam actoris, cuius copia eidem tradetur, seu  
offeretur, responsurus compareat: deinde si ter-  
tio citatus, monitusque sub pœna confessati, re-  
spondere detractauerit, perinde habeatur ac si  
contenta libelli, siue petitionis confessus foret;  
præviaque alia citatione, vt cautius ac securi-  
us pro-

us procedatur, actor ad probandum, si testes haberit, admittatur. si minus, iuramentum illi ex officio iudicis deferatur: ut ijs rite peractis, alijsque obseruari solitis, obseruatis, in causa concludatur ut sententia definitiva feratur.

## CAPUT VII.

QVONIAM non pauci in hac prouincia reperiuntur presbyteri & Clerici, seu pro talibus sese gerentes, qui se notarios publicos scribunt, & nominant; quorum imperitia non solum nullitatis, sed etiam falsitatis, aliaque vitia persæpe committuntur, cum maximo contrahentium, aliorumque iniuria, & præiudicio: iccirco hæc sancta Synodus, inhærens decretis sacri generalis Concilij Tridentini, interdicit, & inhibet omnibus, & singulis presbyteris, & Clericis predictis ne in negotijs, litibus, & causis rerum ecclesiasticarū, seu spiritualium huiusmodi officium in hac nostra prouincia exercere præsumant, nisi prius a locorum Ordinarijs prævio diligentí examine probati, & admissi fuerint. Alioqui quoscunque illorum actus, & actitata, seu instrumenta non publica, sed priuata fore decernit; & quibus in iudicio, & extra, fides adhiberi non debeat: & vltra hoc etiam tanquam rebelles grauius arbitrio sui Ordinarij puniendos.

H 2 VT

DECRETA CONCILII  
CAPUT VIII.

VT autem ratio fori , ac iurisdictionis exer-  
cendæ constituatur certa aliqua , siue stipendio-  
rum , sive aliarum quarumcunque rerum , qui-  
bus grauari litigatores quoquo pacto possint;  
statuit sancta Synodus præscriptam vnam com-  
munem formam concipi , cuius erit usus in pro-  
uincia , & a qua nemini resiliere liceat . quod vt cō-  
modius perfici possit , statu die per Patres , Officia-  
les suffraganeorum Episcoporum , aut alij ab ijsdē  
Episcopis deputandi ad Metropolitanam eccle-  
siam conuenient , atque cum eius ecclesiæ Offi-  
ciali eam formam , ac regulam inter se constitu-  
ent . quæ postea Metropolitani , & suffraganeo-  
rum auctoritate stabiliatur , vt seruetur ab om-  
nibus .

CAPUT IX.

MANDAT præterea sancta Synodus prouin-  
cialis , vt Episcopi ad sua reuersi statim in Syno-  
do diocesana designent personas idoneas , qui-  
bus causæ ecclesiasticæ in partibus delegandæ  
committantur , iuxta decretum decimum Sessio-  
nis x x v . Concilij Tridentini . Quæ personæ per  
Metropolitanum ad Sedem mittentur .

C E T E -

## CAPUT X.

CETERVM cum sacrum Tridentinū Concilium alia multa decreuerit, quorum nulla provincialis huius Synodi decretis fit mentio, quia satis expressa, ac explicata sint; ea omnia, siue ad doctrinam, siue ad ecclesiasticā reformationem, & morum correctionem pertineant, sancta Synodus plane, atque integre seruari debere, vimque, & auctoritatem inuiolabilem habere declarat.

## CAPUT XI.

DECERNIT præterea sancta Synodus, ac mandat, vt in diœcesanis conuentibus Episcopi omnia decreta Concilij Tridentini, & quæ in hac statuta, definitaque sunt, legi ac publicari curent: eaque, vbi typis mandata fuerint, in omnibus ecclesijs, ac a quibuscumque sacris initiatis Ordinibus haberi præcipit.

## De Matrimonio.

## CAPUT I.

**M**ATRIMONIVM res sacra est, sancta, & arcta coniunctione diuinitus instituta,

H 3 cum

DECRETA CONCILII

cum nondum inter homines peccatum natum esset. Quare nec suscipi, nec tradi nisi sancte, ac religiose debet; nec in prophanis rebus haberi vinculum, cuius Deus auctor, & coniunctio est. Ac propterea sancta Synodus prouincialis seruari, ac recipi mandat quæcunque de matrimonio sacram Tridentinum Concilium decreuit: atque inter cetera, quæ sequuntur, præcipit.

CAPUT II.

DOCEANT pastores, idque frequenter populares suos in matrimonio spectari debere fidem, prolem, & Sacramentum: fidem scilicet, quæ ius coniugij conseruet indissoluble: prolem, ut Dei beneficio suscepta, ac donata mutua benevolentia nutriatur, & instituatur religiose: Sacramentum autem, ut exemplo Christi, & ecclesiæ diuortium coniuges non separet. Separatos quacunque de causa alienus thorus non recipiat, nisi mors alterius intercesserit.

CAPUT III.

MONEANT pastores puberes, & aptos ad contrahendum matrimonium, ne pietatem erga parentes deserant, sed eorum arbitrio, & consilio ineant matrimonia; malintque Iacob sanctum virum imitari, quam reprobum Esau.

MONE-

## CAPVT IIII.

M O N E A N T identidem parentes, ne per vim filios adigant ad hoc, illudue matrimonium. Declarent præterea contracturi an libere, an coacte consentiant. vbi nullam vim pastor cognoverit, nullumque impedimentum Canonicum; hos coniungat in Domino: si secus, differat.

## CAPVT V.

P R O C L A M A T I O N E S ante matrimonium veteri more consuetas, & decreto Tridentini Concilij mandatas non omittant pastores; iurentque contracturi nullo impedimento prohiberi, quod sciant, quin coniuges inter se esse possint.

## CAPVT VI.

S P O N S A L I A loco, ac tempore fiant cōmodo: id est, non in œnopolij, aut tabernis potorijs, sed in loco sacro; non post dissolutas computationes; cureturque, vt & sponsus & sponsa sobrij, non ebrij, neque alias mente capti sponsalia incant.

## CAPVT VII.

M A T R I M O N I A in facie ecclesiæ fieri mandat

DECRETA CONCILII

mandat Synodus, ac pastoribus præcipit, doceant coniugibus non tantum esse honorificum, sed utile, faustum, & auspiciatum si res sacra, cuiusmodi matrimonium est, loco sacro celebretur: & uberiorē diuinæ benedictionis fructum ijs expectandum, qui pie, ac religiose ritum ecclesiæ sequuti fuerint, quam his qui contempserint.

CAPVT VIII.

VIT vitetur impudentium hominum temeritas, qui vagi frequenter per fraudem, & nefas multas diuersis locis uxores ducere tentant; mandat sancta Synodus, seruetur Tridentini Concilium de eare decretum, ne temere ignotos pastores cum Sacramenti contumelia coniungant.

CAPVT IX.

QUI falsum impedimentum sciens, prudensque attulerit, quo matrimonium futurum impedit; qui que verum impedimentum sciens reticuerit; excommunicationis poena castigetur.

CAPVT X.

SI coniecturam habeat pastor impedimenti alicuius, Ordinarium consulat, antequam iungat matrimonio, de quibus dubitat.

G R A -

## CAPVT XI.

**G R A D V S** consanguinitatis, & affinitatis siue naturalis, siue spiritualis, quibus matrimonium impediatur, Tridentini Cōciliij Decreta constituantur. quæ seruari omnino debere, sancta Synodus declarat.

## CAPVT XII.

**S V S C E P T O R E S** e Baptismo, aut susceptrices, quomodo, & cum quibus affinitatem trahant, idem Conciliū Tridentinum statuit: cuius normam obseruent, & sequantur pastores. qui nullos ad hoc munus recipient, nisi qui annos discretionis attigerint; & sciant, quæ scire debent susceptores huiusmodi.

## CAPVT XIII.

**C L A N D E S T I N A** matrimonia, ut sunt ex Tridentini Conciliij decretis definita nulla, & irrita fore, Episcopi denuncient, aut denunciari current; scilicet trigesimo post die, qua id proclamatum fuerit.

I De

DECRETA CONCILII  
De decimis, oblationibus, & por-  
tione Canonica.

CAPUT I.

**Q**UAE de decimis ex Cōcilio Tridentino cla-  
rissime mandātur, ea sancta Synodus serua-  
ri omnino præcipit, scilicet ut pro locorum con-  
fuetudine, iuxta constitutiones Apostolicas, ac  
edicta Regia sub pœnis, eiusdem Concilij decre-  
to contentis, persoluantur; nec sint populares in  
Deum bonorum largitorem auari, & ministris  
eius ingratii.

CAPUT II.

**O**BLATI O N E S solitas offerri in ecclesijs  
non laici, patroni nomine, sed pastores soli reci-  
piant: est enim hoc prorsus indecorum. Earum  
autem oblationum partem, quæ patrono cedere  
debeat, ijdem pastores fideliter reddant; ac de re  
tota, ne vllum offendiculū nascatur, inter se con-  
ueniant; nec licet pastoribus eas oblationes vlo-  
pacto elocare.

CAPUT III.

**Q**UOD autem ad portionem Canonicam  
assignandam pastoribus attinet, mandat sancta  
Syno-

Synodus omnibus Episcopis diligenter in sua quisque diœcensi perquirant quantos redditus, & prouentus pastor ratione pastoralis beneficij possideat; efficiantque, iuxta Tridentini Concilij decreta, vt pastoribus sit satis ad vitam comode sustinendam; idque vel beneficiorū vniōne, vel cremento, & auētu portionis decimalis. Quod si nullas decimas beneficium habeat, prouideatur tamen pastoribus populi subiecti symbolis, & vt dicunt, contributione, vel alia ratione, quācunque commodior inueniri poterit.

## C A P V T   I I I .

I N eam rem autē ex proportione, quotquot decimas percipiunt, æquabiliter contribuant, quantum cuique pastori Episcopi iudicio ad vi-  
ctum sufficiat.

## C A P V T   V .

A T vero quo celerius, ac melius huic necessi-  
tati prospiciatur, præcipit sancta Synodus, vt  
mox, vbi ad sua redierint, Episcopi adhibitis  
duobus Cathedralis ecclesię Canonicis, duobus-  
que, si fieri potest, Prælatis in eam rem diligenter  
incumbant; vt proxima Synodo diœcesana om-  
nibus pastoribus sit sufficienter prospectum.

DECRETA CONCILII

CAPUT VI.

S I vnuiones duarum ecclesiarum fieri contigerit; propter vtriusque inopiam, vnicus ambarum sit pastor. Cui facellanū ad partē solicitudinis diligere liceat; admissum tamen ab Episcopo.

CAPUT VII.

I N ecclesijs, in quibus iura pastoralia vel conventione, vel auctoritate Magistratum sunt ordinata, ac terminata, ea iura maneat, si æqua fuerint : si minus ; vel augeantur , vel minuantur Episcopi ac Magistratus iudicio. In quibus autem non sunt determinata, ineatur ratio cum eodem Magistratu, vt fiat

CAPUT VIII.

I N Ecclesijs, quarū instaurari, ac refici Chorus eorum sumptu debet, qui decimas capiunt, omnes ecclesiastici , qui easdem decimas obtinent, etiam si patroni non sint, ex proportione decimorum, quas recipiunt, pro sua quisque portione conferat ; siue instaurari tantum ijdem Chori debeant, siue de integro ædificari. Chori autē si de nouo construi debeant, totum ædificiū eorū fiat arbitrio, qui sumptum facere debent.

IN

## CAPUT IX.

IN ecclesijs autem, in quibus Chori ædificari, & restaurari sumptu populi ex antiqua consuetudine debent, maneat in suo robore cōsuetudo.

## CAPUT X.

**Q**VÆDAM monasteria decimas pastoribus, & Episcopis persoluere recusant ob quedam priuilegia suo Ordini a summis Pontificibus concessa: sed quia in nōnullis parochijs omnia propemodum prædia sunt eorum monasteriorum; hinc fit, ut vix quicquam supersit patronis, & pastoribus ad onera sustinenda. Quare sancta Syndodus hortatur dicta monasteria, ne priuilegia sua, detimento pastorum, & ecclesiæ sic extendant, ut alligetur os boui trituranti. Quod si contempserint, nomine Prouinciæ recurratur ad sanctam Sedem Apostolicam.

## De Purgatorio.

## CAPUT I.

**C**VM de Purgatorio, ac suffragijs, quæ pro mortuis præstantur, idem sentiat sancta Syndodus,

D E C R E T A C O N C I L I I

nodus, quod semper sensit ecclesia, quodque maxime Tridentino Concilio definitum est; eadem sancta Synodus præcipit seruari, ac doceri, scilicet esse locum destinatum earum animarum purgationi, quæ ex hoc seculo migrant non plane purgatae, neque ab omnibus poenis debitibus penitus absolutæ; easque animas precibus, eleemosynis, & facrosanctæ Eucharistiæ corporis Christi sacrificio, pro benignitate diuinæ clementiæ iuvari. quæ omnia sic offerantur a pijs, & fidelibus, ut neque pro damnatis, neque pro exclusis a gloria, neque pro ijs, qui salutem æternam iam consecuti sunt, offerantur; sed pro ijs scilicet, qui nec tam bene vixerunt, ut statim assumpti fuerint in gloriam; nec tam male, ut in damnatione sempiternam inciderint.

C A P V T I I.

D O C E A N T præterea, moneantque populum pastores, ut hæc sancta piorum exercitia, pie ac sancte suscipiantur, nec ferant superstitiones vilas inolescere, aut incerta dogmata, quæ nulla auctoritate, nulloque ecclesiæ consensu probabilitatem habent: sed turpis plerumque quæstus faciendi instrumenta sunt. Hæc quidem Episcopi diligenter current, ut intelligent quid recte, quid perperam in his, quod ad hoc attinet, agatur.

tur. vbi primum intelleixerint, hāc contagionem depellant: ne plebi imperitæ turpiter imponatur; aut hæreticis calumniæ inurendæ ansa pre-beatur. Quicunque in hac re imposturam feciſſe deprehensus fuerit; grauiter puniatur.

De doctrina autem Purgatorij , ac sequentiū articulorum, nempe de inuocatione Sanctorum, de imaginibus, Reliquijs, & Indulgentijs cōpiosius , & vberius tractabitur in Catechismo, quem Patres excudi curabunt.

## De Monasterijs virorum, & mulierum.

**V**T in Monasterijs tam virorum, quam mulierū regularis disciplina, vbi conſeruata est, firmius stabiſſiatur; vbi vero collapsa est, facilius restituatur: hæc statuit, & decreuit sancta Synodus.

### CAPVT I.

AB BA TES, vel Præpositi, Abbatissæ, vel Præpositæ, Priors, seu Priorissæ quorumuis regularium locorū ſtudeant in primis, Concilij Tridentini decretis ſatisfaciendo, ſuam, ſuorumque vitam ad sanctæ regulæ, ſecundum quam ſunt profefsi, præscriptum iſtituere, & componere.

PROIN-

DECRETA CONCILII

CAPUT II.

PRO INDE frequenter diuinis intersint officijs, tanquā gregis Dominici veri & strenui ducēs; inque oratorio id dumtaxat agi permittant, quod Dei laudem, animarumque salutē, necnon proximorū ædificationem efficaciter operari dignoscatur: memores quod Dei domus, domus orationis sit; & maledictus, qui facit opus Dei negligenter.

CAPUT III.

CETERVM, quia mensæ cōmunio charitatis vniōne designat, & a Patribus, antiquitusque statutum, obseruatumque fuerit in bene moratis cœnobijs vt omnes eodem in loco cibū simul caperent; statuit sancta Synodus, vt Superiores seuere prohibeant priuatas mensas; cogantque omnes, qui legitime non fuerint impediti, ad vnu conuenire refectorium cōmunis refectionis gratia.

CAPUT IIII.

S I locis quibusdā lectio sacra in conuentuali religiosorū mensa hactenus omissa fuerit, & minus vſitata, eius vſus restituatur. Ieiunia itē conuentualia sicuti minus fuerunt obseruata iuxta regulæ, aut locorum bene reformatorum vniuersitatisque ordinis consuetudinem.

MONET

## CAPUT V.

**M**ONET quoque sancta Synodus vniuersos Regularium rectores, ut una cum suis subditis corporis in Conuentu nonnunquam sumant refactionem; nisi per occupationes legitimas, aut hospitum multitudinem penitus impediatur.

## CAPUT VI.

**H**ORTATOR insuper sancta Synodus, ut quando commode fieri poterit, initio mensæ ipsorum Superiorum sacræ scripturæ, aut cuiuspiam p̄ij, & Catholici Doctoris prælectione habeatur; ut una cum corpore sumat quoque & mens cibum. Porro expleta huiusmodi sancta prælectione nulli sermones irreligiosi ibidē misceantur; sed qui boni sint, & honesti.

## CAPUT VII.

**O**MNI diligētia curēt, ut mensa sit frugalis, vitenturque excessus; neque ipsi quenquā ad largius, ac immoderatius bibendū inuitent: immoderne patientur quidē, quoad eius cōmode fieri potest; ne prophetæ cōminatio in eos, eorumque coniuias merito possit cōpetere: Vē qui potētes estis ad bibendū: Et viri fortes ad miscendā ebrietatē.

K. MANDAT

## DECRETA CONCILII

## CAPUT VIII.

M A N D A T sacrosancta Synodus omnibus Superioribus, vt diligentissimam operam adhibeant ne votum castitatis inter subditos periclitetur. Quibus etiam omnes occasiones consortij ineundi, ac familiaritatis cum mulieribus admere admittantur. Quæ profecto si quandoque ad coenobia venerint, non eis concedatur accessus, etiam si religiosæ sint & moniales, ad religiosos, vel loca regularia, aut conuentualia, nisi ex certa quadam, & multum rationabili causa Superior facultatem fecerit.

## CAPUT IX.

C V M sacrosancta Synodus Tridentina & cœcumenica præceperit ea quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinent, fideliter obseruari; mandat hæc Synodus omnibus monachis, & monialibus, religiosisque, vt diligentissime paupertatis votum, tanquam ineffabilis cuiusdam, & dulcissimæ quietis causam custodiant, neque proprietatis vitio violent. Caueant igitur ne quid pecuniae, aut alterius rei sibi ita retineant, vel retinere desiderent, vt communitati nolint esse commune; neve ad peculiares usus eo vtantur sine Superioris consensu.

V T

## CAPVT X.

VT autem huic pestifero vitio obuiam eatur; mandat sancta Synodus omnibus omniū Ordinum Superioribus, ne subditis pecuniā pro quo- cunque cibo, vel potu, siue vēstimentis, & quibus- cunque necessarijs administrent; sed victus om- nis, potus, ac vēstitus, & quicquid necessariū fue- rit, decenter, &, prout ratio postulat, eis porriga- tur. Rescindant insuper Superiores, & aboleant prorsus vniuersa illa emolumēta, & iura, quę an- tiquo more quibusdā monasteriorū Officialibus cōcedi solebant. Breuiter omnis illa pecunia, vel res, quā monachus, vel monialis acquirere siue la- bore, siue industria, siue amicorū liberalitate, seu denique qualibet alia occasione possit, Superiori mox tradatur: ita vt ad nutū cius, tanquā res cō- munis, expendatur.

## CAPVT XI.

ET quo hæc omnia facilius, diligentius, nec- non absque tædio queant obseruari; præcipit sancta Synodus cunctis cunctorum monasterio- rum sexus vtriusque Superioribus quatenus se- cundum regulam, ac maiorū instituta benigne, necnon placide subministrent omnia in vniuer- sum, quæ suis subditis necessaria fuerint, & con- uenientia: ne infirmioribus præbeant ansam de-

K 2 trimenti,

DECRETA CONCILII

trimenti, votæ paupertatis valde grauidi, non nihil congerendi, & apud se retinendi. in qua quidem re si negligentiores extiterint, admoniti, a suo Superiore omnino compellantur.

CAPUT XII.

QVANDO QVIDEM raro admodum terminantur fine bono, quæ malo inchoantur principio, abesse omnino vult sancta Synodus a religionis ingressu labem, etiamque speciem detestabilis symoniæ. Quocircapräcipit serio sacros Canonones insecuta, ne monachi, vel moniales aliquem, vel aliquam ad professionem recipient mediante alicuius pecuniaæ, aut muneris pacto; ne ea quidem ex causa, quod plures alere non possint sine aliquo subsidio; cum Tridentina Synodus cap. IIII. De Regularibus aperte velit ne plures recipientur in monasteriū, quam ex proprijs monasterij redditibus, vel ex cōsuetis elemosynis commode ali possint. Vetat etiam sancta Synodus, ne in ipsis diebus professionum, & primitiarum fiat laetus sumptus, lautusque apparatus, quantus plerisque locis fieri solet; sed sint frugalia omnia, & moderata.

PORRO

## CAPVT XIII.

PORRO moniales studeāt quām accuratissime , quas de consensu Episcopi , aut Superioris visitatoris iuxta Tridentini Concilij decretum educandas , & formandas suscepereint , conuictrices puellas pie , & catholice instituere ; neque nimium curiose vestire , & ornare : verum prout decet puellas , inter Christi sponsas versantes , cum modestia , & timore dumtaxat ornentur .

## CAPVT XIX.

IN SUPER quo nouitorum , vel nouitiarum iuuenum institutio , & formatio , vbi laudabiliter continuata est , constantius conseruetur ; vbi vero neglecta est , diligenter instauretur : mandat omnibus monasteriorum Superioribus sancta Synodus , vt regulæ , ac statutorum monasterij , in quo iuuenes cupiunt profiteri , lectio , & explicatio eisdem nouitijs fiat : ne imprudentius vogueant , si ipsis minus cōstet , ad quid se per professionem obligent .

## CAPVT XV.

NVNQVAM religiosi foris pernoctent ; nisi causa ægritudinis , negotiorum monasterij , visitationis

K 3

## DECRETA CONCILII

tationis parentum , vel amicorum eis concesse-  
rit Superior. In quo non nimium faciles se præ-  
beant Superiores.

## CAPUT XVI.

CETERVM monet sancta Synodus Ab-  
bates , Abbatissas , & alios monasteriorum Præ-  
fectos , & Præfectas , vt sui memincent officij , se-  
que non esse dominos bonorum monasterij , im-  
mo ne fructuum quidem ; sed tatum dispensato-  
res , & administratores : neque se pro libito dis-  
pensare posse , sed secundum intentionem eccle-  
siæ , & piorum fundatorum . Proinde valde re-  
prehensibile esse eorum factum , qui ex bonis , vel  
etiam fructibus monasterij sui ditant propin-  
quos , vel amicos suos . Itemque eorum , qui su-  
perfluum , & nimis fastuosum habent famuliti-  
um , & comitatum , & nimium equorum nume-  
rum ; quique nimium splendide , & sumptuose æ-  
dificant , præsertim ædicia non sacra .

## CAPUT XVII.

POSTREMO sicubi in monasterijs tā viro-  
rum , quàm mulierum vel temporum lapsu , aut  
Prælatorum negligentia propter bellorum lon-  
gam continuationem insolentiæ , dissolutiones ,  
ac deni-

ac denique abusus irrepserint; mandat sancta Synodus, ut in eorundem monasteriorum prima visitatione omnia, & singula supradicta tollantur, penitusque extirpentur; ac ad regulam, quam professi sunt, reducantur; quantumque fieri poterit decretis Concilij Tridentini conformentur.

### De Sanctis.

#### CAPUT I.

**S**ANCTORVM, qui cum Christo regnant, venerationem, cultum, & invocationem ecclesia semper probauit. Hæretici vero non huius saeculi tantum, sed vetustissimi reiecerunt. Atque in his non hæreticus, sed apostata Julianus ecclesiae sanctam consuetudinem irrigit, & damnavit, quasi Christi martyres pro diis ea coleret. Quemadmodum autem sancti Patres minime destiterunt ob hæreticorum, & gentilium contumelias, quin martyribus debitum honorem constanter semper impenderint: sic nec debent pri homines a legitimo cultu, & invocatione Sanctorum abduci, quicquid aduersus ecclesiam latrèt nostrí temporis hæretici. Sanctorum enim precibus infirmitatem mortalium iuuari, firmissimis argumentis comprobatum est. Cuius rei testimoniū

D E C R E T A . C O N C I L I I

nium Augustinus luculentum præsttit. Nec dubium ullum stare potest, quin, cum nos diligent, in cælis salutem quoque nostram votis, & precibus promoueant.

C A P V T    II.

D O C E A T V R tamen populus, alium esse cultum, quo Deus, ac mediator Dei ac hominum, homo Christus Iesus colitur: alium, quo Sanctos venerari pie debemus. colimus enim Deum, cū agnoscimus creatorem, conseruatorem, bonorū largitorem; quem expectamus iudicem, cui vni reddere rationem vitæ ætæ debeamus; qui solus perdere, solus seruare possit; cui soli sacrificium offertur cordis, labiorum, & sacrofæcctæ Eucharistiae corporis, & sanguinis Domini. quo generculitus nec Anglorum ullum, nec Diuorum, nec virginem Deiparam colere licet.

C A P V T    III.

E T quamvis Diuos recte colamus, voce musque aduocatos, & intercessores; non eo tamen ordine, atque loco, quo Christus homo aduocatus, mediatorque esse dicitur. cuius rei admoneri debebunt populares a pastoribus,  
vt re-

ut refundatur hæretorum contumelia, qua dicunt ecclesiam Catholicam Diuos æquare Pontifici, & mediatori nostro Christo.

## C A P V T III.

P R E C E S fidelium analogiam & proportionem fidei sequantur. Quare admoneantur populares minus docti, ut, cum Sanctorum memorias visitant, & eorum auxiliū implorant, ac Christiana consuetudine orationem Dominicam recitant, intelligant se eam non ad Sanctos, sed ad Deum dirigere, adiunctis sibi compreceptoribus Sanctis.

## C A P V T V.

D O C E A T V R præterea populus quo discrimine usā est, & utitur ecclesia in letania cum inuocatur Deus, & cum inuocantur Diui. In ea enim facile perspicitur aliud esse cultum, qui exhibetur Deo; aliū qui Sanctis defertur. Sic enim vulgus se non facile patietur abripi hæreticorum præstigijs.

## C A P V T VI.

D O C E A T V R itaque populus preces quidem Sanctorum admodum ytiles ad impetranda dona non modo corporalia, & temporalia,

L      sed

DECRETA CONCILII

sed spiritualia, & æterna. Sed tamen abominandam esse eorum vanitatem, ac superstitionem, qui certo pollicentur non ex hac vita migraturos sine penitentia, & Sacramentis eos, qui hunc, illumue ex Diuis coluerint, qui securitatem in rebus gerendis fortunæ certum, ac optatum euentum ijsdem promittunt; & si qua alia huiusmodi proferantur, & credatur. veluti & illud quoque plane reprobandum est, si qui certo numero, prescriptaque Missarum forma aliqua, aut precū affirmant certas, designatasque animas ē Purgatorio semper liberari.

De Imaginibus.

CAPUT I.

**I**MAGINES Christi, ac Diuorum in templis habendas esse, vniuersalis Synodus septima tradidit; idemque Tridentinum Concilium confirmauit. quibus recte eius honoris externa signa exhibentur, cultusque, & inuocationis, quā rei significatę deferimus; vt sunt genuflexio, & reliqua huius generis. Neque absurdum, aut impium quoquo pacto videri debet; cū in signis prototypa veneramur. Sicuti nec vituperari debet, si sceleratorum Principum, odio tyrannidis, populous

pulus imagines cuerat. Sed, ne quid agatur in eccllesia præpostere, quod ad hanc rem attinet, hæc, sancta Synodus, quæ sequuntur, constituit.

## CAPUT II.

**I M A G I N E S** in templis nullæ statuantur; nisi Episcopi consensu, & iudicio. Si quæ autem erectæ fuerint, ac præ se ferant quicquam quod non deceat, neque prototypo congruat; tolli eas, aut mutari iubeto.

## CAPUT III.

**D O C E A T V R** præterea populus imagini cultum nullum deberi aut propter materiam, aut propter elegantiam, aut propter preciū operis, aut propter quidius aliud, quod sit in artificio, aut imaginis substantia; sed propter rem significatam, ad quam hic cultus, & honos præcipue refertur. Et sic admonendus est, animum orantis, aut venerantis in rem signatam referri; & non in signum: quod nec audit, nec videt, nec sentit.

## CAPUT IIII.

**P R A E T E R E A** admoneatur populus impenitæ plebis causa maxime positas esse imagines;

L 2      vt

DECRETA CONCILII

vt illarum aspectu docti , & moniti patrocinium  
Diuorum , & pietatem in Christo conseruemus,  
& eorum vitam imitemur.

CAPUT V.

MIRACULA nulla locum, aut auctorita-  
tem habeant sine iudicio ecclesiæ per Episcopū  
declarata: ne prestigiæ Dæmonum, aut impostu-  
ræ improborum hominum pro certis, verisque  
miraculis ad contumeliam nominis diuini ha-  
beantur.

De Reliquijs.

CAPUT I.

SANTORVM Reliquias ita venerari præ-  
cipit sancta Synodus, vt ex Concilio Tridentino decretū accepimus. cum enim non tantum  
fint monumenta , quibus Martyrum, ac Diuotum memoriarenouetur, sed fuerint viua corporis Christi membra, ac tēpla Spiritus sancti olim  
ad sempiternam gloriam excitanda ; eo propensiore deuotione venerandæ sunt. Sed , vt in his  
omnis tollatur abusus, prohibet sancta Synodus  
ne quis nouas, aut ignotas Reliquias populo ve-  
nerandas offerat; nisi prius ab Ordinario proba-  
ta fue-

tæ fuerint: & in his, quas constiterit veras esse, ritus fieri vetat, quos ecclesiæ & religionis sinceritas non approbat: nec nisi decenter, & tempore congruo circumferantur.

### De Indulgentijs.

**Q**VI A per indiscretas, & superfluas Indulgentias & Claves ecclesiæ contemnuntur, & pænitentialis satisfactio eneruatur; ideo prohibet sancta Synodus ne quis vllas nouas, aut ignotas Indulgentias populo commedet, & promerendas offerat; nisi prius ab Ordinario visitate fuerint, & probatae. Ac præcipit etiam eadem Synodus vt Parochi populum suum diligenter admonent, ne circumforaneis quibusdam, aut etiā impressis libellis temere fidem adhibeant, qui ex leuibus, vanis, & superstitionis causis exorbitantes Indulgentias pollicentur; cum Indulgentiæ non nisi ex pijs, & rationabilibus causis concedi debeant.

**P**O S T R E M O mandat hæc sancta Synodus omnibus, & singulis Episcopis, Abbatibus, Capitulis, & alijs quibuscumque personis ecclesiasticis, & sæcularibus vt præmissa omnia, & singula, & quæ a sacro Concilio Tridentino constituta

L 3 sunt,

1551625


DECRETA CONC. CAMER.

sunt, districte obseruent, & obseruari faciant,  
sub poenis inibi respectiue contentis.

**A**NNO Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Mensis vero Iulij, die vigesima quinta, de mandato Reuerendissimi Archiepiscopi Cameracensis praesidentis, & Reuerendissimorum Attrebatis, Namurcensis, & Audemarensis, Episcoporum comprouincialium, in sancta Synodo prouinciali Cameracensi, in Spiritu sancto legitime congregata, assidentium: Nos scribae infra scripti, ab ipsi sancta Synodo deputati, & iurati praescripta decreta, & statuta Synodalia aliena manu fideliter scripta, & cum Originalibus collata, & concordata, in fidem omnium, & singulorum in eisdem contentorum subscriptionibus nostris consuetis signauimus.

Io. le Duc manu propria signauit.

Ita est Io. Nerbier.



John R. Stetson